

hoc ipso *paenitentiam*. S. Paulus, ad Romanos, II, 3, scribit: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impetentis cor, thesaruras tibi iram in die irae.* Theophylactus verba haec ita interpretatur: « Sin autem propterea quod supplicium de te nondum sumptum fuerit, divitias bonitatis ejus asperraris, hoc ipsum ad majorem tibi penam cedet, nam longanimitas, se ad emendationem utentibus, salutaris est; insummentibus autem eam ad peccati augmentum, majoris est supplicii occasio, non ob sui naturam, ceterum ob ipsorum duritiam. » S. Augustinus, in *Psal.* XLIV, sic ait: « Non enim modo sic longanimitas in sustinendo, ut nunquam justus in vindicando: distribuit tempora. Vocat te nunc. Exhortatur te nunc. Expectat donec respicias, et tu tardas? Magna ejus misericordia, et in hoc quod diem vite tibi incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis, et cum quotidie speras te migrare, aliquando convertaris. Et in hoc magna ejus misericordia. Ceterum si statuisset diem omnibus, faceret abundare peccata, de securitate. Dedit ergo spem veniae, ne desperando amplius pecces. » Quia vult reprobi dilationem supplicii quod meruerunt, ad peccatorum continuationem, non vero ad finem a Deo intentum, scilicet ad sui emendationem impendant, ideo seipsum, per hujusmodi Dei misericordiam et bonitatem decipiunt, minime ad justitiam sese reflectentes. Sed, « quos modo sustinet peccantes, judicaturus est contententes, » ait idem sanctus Doctor.

h. — Glossa per hanc ruinam in quam positus est Christus, exterminium intelligit vitiorum mundi, unde contentendus est mundus qui vitiorum omnium est centrum.

Legitur in Evangelio secundum Joannem, II, 16: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Quod si igitur Deus hunc mundum affectu suo prosequi non dedignatur, cur idem sanctus Evangelista, I *Epis.*, II, 15, nobis mundi amorem tam districte prohibet dicendo: *Nolite diligere mundum?* Richardus a S. Victore, in *Apoc.*, VII, dicit: « Sciendum quod tribus modis accipitur mundus. Aliter intelligitur mundus, cum dicitur: *Creator mundi.* Aliter cum dicitur: *Salvator mundi.* Aliter cum dicitur: *diabolus princeps mundi.* Est itaque mundus, cujus Deus Creator est, est et mundus, cujus Deus Salvator est, est etiam mundus, cujus diabolus princeps est. Mundus, cujus Deus Creator est intelligitur universalis mundi fabrica, de qua dicitur: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Mundus, cujus Deus Salvator est, intelligitur universalis Ecclesia, de qua scriptum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Mundus, cujus diabolus princeps est, intelligitur universa-

« lis concupiscentia seculi, de qua dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt.* » Illic est mundus quem nos diligere velat Joannes; moxque addit rationem dicens: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vita.*

Porro qui videre cupit, quam turbidus torrens multitudinis hunc mundum inundet, legat S. Augustinum de nimio ad mundi vanitatis affectu, ita scribentem, de *Civ. Dei*, XXII, 22: « Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, et ex hoc mordaces curae, perturbationes, merores, formidines, insana gaudia, discordiae, lites, bella, insidiae, iracundiae, inimicitiae, fallaciae, adulatio, « frans, furtum, rapina, pariticia, crudelitas, « savitia, nequitia, luxuria, adulteria, incestus, et « contra naturam utriusque sexus tot stupra atque « immundities, quas turpe est etiam dicere; sacri- « legia, haereses, blasphemiae, perjuria, oppressio- « nes innocentium, calumniae, circumventiones, « prevaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, « violentiae, latrocinia, et quidquid talium malorum « in mentem non venit, et tamen de vita ista « hominum non recedit? » Talia sunt vitia et peccata in quorum ruinam positus est Dominus noster Jesus Christus. Et tamen ista peccata nostra sint, et gravia, nobis tamen de illis penitentibus, misericordia Dei abolet, majoremque gratiae abundantiam infundit.

i. — *Et in signum cui contradicetur.* Varii scriptores varie hoc verbum, *signum*, interpretantur et explicant. Hugo Cardinalis ait: « Multipliciter « positus est nobis Christus in signum. Positus est « in praesepio in signum paupertatis et humilitatis. « *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis « involutum et positum in praesepio.* Item positus est « in cruce, in signum patientiae et obedientiae. » Dionysius Carthusianus signum hoc de Christo ut mediatore et pacificatore exponit dicens: « Potest « exponi de signo purificationis, ut sit sensus: Po- « situs est in signum foederis et reconciliationis, « seu pacis inter Deum et hominem, quia scilicet, « factus est mediator Dei et hominum. » Signum quo nobis, postquam per mortem suam divinae justitiae satisfecit, eamque placavit, securam nobis veniae peccatorum nostrorum obtinendae spem praestitit.

Quantum, haec, peccata nostra, quae a pomi veliti manducatione suam habere principium, atque per quinque millia annorum et amplius continuata, in numero sine numero erant, divinam exacerbaverant justitiam? Nunc vero, ex quo Apostolus, *Heb.*, IX, 22, ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio;* quis desperabit, Dei placatam esse iracundiam, per totius sanguinis Agni immaculati copiosissimam effusionem? Idem Apostolus, in eodem capite,

paulo ante, tale formaverat argumentum: *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, iniquissimos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram?* Quapropter S. Augustinus in *Manuali* suo, cap. XXIII, ita scribit: « Non possum « terrefi multitudine peccatorum meorum, si mors « Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea « illam vincere non possunt. Clavi et lancea cla- « mant mihi, quod vero reconciliatus sum Christo « si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus « Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco « securus. »

j. — *In signum cui contradicetur.* Recte Isidorus Clarius, *Orat.* XII, explicat, quod hic Simeon accepit similitudinem a sagittariis, quando ad scopum collinant; ponunt enim ad jaculationem prometa vel signum aliquid, quod supereminet, seu albescit, seu florescit. Cum ergo inter omnia, quae in hoc visa sunt terrarum orbe, Christus Dominus esset superexcellens et candidus divinitatis corona, omnique virtute floridus appareret, ideo impii acuerunt linguas suas, ut sagittarent in eum. Et hoc valde frequens est; justi enim specialiter a calumniis infestantur, quia aliis vitae perfectione supereminent. Ipsa nos experientia per omnia secula docuit, quod pessima calumniae zizania, inimici infernalis opera, ut plurimum in agrum tritico seminatum spargatur, sicut et sagitta ex intentione areum laxantis, in partem melae albam evibratur, id est, in eum in quo innocentia et sanctae ac immaculae vitae candor viget. Unde Sapiens, *Eccli.*, VII, 8, dicit: *Calumnia conturbat Sapientem.* David erat vir secundum cor Dei, ac proinde meta fuit, in quem maligni homines imposturarum suarum tela ejaculabant. Atque ideo petebat: *Redime me a calumniis hominum,* inquit S. Hilarius, in *Psal.* CXVIII, 134. De S. Jolo, ipsamet aeterna veritas testimonium perhibet, quod in universa terra nullas ei in sanitate similis existerit, et ideo, inquit S. Augustinus, tot fuit calumniarum nevis denigratus. « Calumnia ejus « est, » id est demonis: « Numquid gratis Job colit « Deum? » Quot alias falsas imposturas ipsimet quoque amici ejus illi impegerant?

Invidia ut plurimum calumniae mater est, quae aliorum se virtuti et merito semper opponit. Nemini eorum qui cum gloria vixerunt, licuit effugere calumnie terminum. S. Cyprianus, Antoninum monuit ne calumnias contra S. Cornelium sparsis aures benignas preberet, cuius ad martyrium preparationem commendans, ait: « Quod aulem de illo « inhonestae et malignae jactantur, nolo mireris, « cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos « Dei, mendacio laeret, et opinionibus falsis glo- « riosum nomen infamet, ut qui conscientiae suae « luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. »

Similiter S. Gregorius de calumniis Lerno impositis disserens, subjungit: « Habet hoc proprium antiqui « hostis invidia, ut quos in pravorum actuum per- « petratione Deo sibi resistente decipere non valet, « opinionione eorum falsas ad praesens simulando « dilaceret. »

k. — Christus Dominus dicitur etiam *positus in signum*, quod a nobis imitandum est; vel dicitur signum quia ejus fides est nota populi christiani. Illic tamen signo Judaei et haeretici moribus ac verbis contradixerunt. Sicuti autem Christus, ob varias contradictiones populi judaei, tantum abest quin obscuratus sit, verum magis clarificatus, ita quoque fides sua quae est Ecclesiae romanae, tantum abest quin in successoribus suis fuerit obscurata, quin potius, per aemulorum contradictiones et confutationes solidius fuit confirmata et stabilita.

VERSUS 35.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reculeret ex multis cordibus cogitationes.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

1. — Divina Sapientia, de qua scribitur: *Bene omnia fecit,* gaudia beatissimae Virginis, quibus in caelesti partu suo perfusa fuit, per crucis et mortis Filii sui praedicationem amariare voluit; ut hac ratione mundum doceret, gaudia et laetitiam ejus aliqua semper tristitia esse permixta; neque enim in hoc sublunari mundo pura unquam gaudia reperiri possunt, quin potius semper *risus dolore miscbitur.* Prov., XIV, 13.

2. — Euthymius qualisnam gladius animam Virginis transfurxerat, haec nobis verbis exponit: « Gladium nominavit dolorem acutissimum, « maximeque dividendum, qui penetravit cor Matris « Dei, dum Filius ejus crucifixus est. » Beda dicit: « Fuisse dolorem Dominicae Passionis. » Hugo Cardinalis per adductam ejusdem Bedae auctoritatem ita scribit: « Quia sicut dicit Beda, non potuit « videre Filium crucifixum, sine affectu materni « doloris, etsi speraret resurrectionem, et mortem « superatum. » Cajetanus dicit, quod gladius ille fuerit: « Cruciatu compassionis, quam sustinuit, « usque ad intima B. Virgo in passione Filii. »

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit, quod, quia B. Virgo in partu suo a doloribus libera permansit, ideo Deus illam postea in morte Filii sui longe acerbiores experiri voluerit; id quod etiam Damascenus observavit, dum ait: « Dolores, quos pariens « effugit, tempore passionis sustinuit. » Unde argumentum acutissimum stringens facere licet, quod si Christus innocentissimam Matrem suam ita tractavit, a doloris gladio eandem nequaquam eximere volens, quis igitur nostrum de occurrentibus in hac laehrymarum valle adversitatibus et ærumnis lamen-

tari audebit, sciens se Deum pluribus modis offendisse, adeoque non unum sed plures inferiores fuisse committis, tantum abest, quod Mariæ innocentia præditi fuerimus.

4. — Dionysius Carthusianus citat S. Ambrosium dicentem : « Per gladium intelligit verbum, seu « sapientiam, » juxta illud S. Pauli ad Ephesios, vi, 17 : « *Accipite gladium spiritus, quod est Verbum « Dei;* itaque sensus est, » sunt verba Carthusiani, « tui ipsius animam pertransibit gladius, id est, « intellectum tuum intime illustrabit verbum vel « sapientia mysterii crucis, ita quod illud non « ignorabit, sed præcognitio passionis Filii tui tua « intima penetrabit. »

5. — Boda in *Catena* citatus, per gladium hunc persecutionem intelligit, qua in decursu sæculorum affligenda erat sancta Dei Ecclesia : « Sed usque ad « consummationem sæculi presentis, Ecclesie animam gladius durissimæ tribulationis pertransire « non cessat, cum signo fidei ab improbis contra « dici, cum audio Dei verbo multos cum Christo « resurgere, sed plures a crudelitate ruere gemme- « bunda pertractat, cum revelatis multorum cordium cogitationibus, ubi optimum Evangelii sevit « semen, ubi zizaniam vitiorum vel plus justo præva- « lere, vel sola germinare conspiciat. »

Ut reveleetur ex multis cordibus cogitationes.

6. — Illa vox, ut, non tam intentum et desideratum finem, quam eventum importat, quasi Simeon dicere vellet : tunc apparebit manifeste, quam Scribæ et Pharisei, qui se Messiam desiderare apparenter simulabant, illi futuri sint contrarii, atque ab ejus persona et operibus alieni. Enim vero, Scribæ et Pharisei Christum Messiam in propinquo esse, ex scripturæ arcanis, scientes, eundem ardentem desiderabant, persuadentes sibi omnino, illum tanquam Regem et Monarcham supremum, cum fasto et pompa mundana, magnaque cum majestate et magnificentia venturum esse; at vero quando illum humilem, pauperem, contemptum, et in tali statum positum esse viderunt, in quo ambiciones eorum foreve cogitationes, ipsorumque cupiditates, quæ insatiabiles erant, nutrire non posset; imo quando illum audierunt annuntiantem mortificationem, suique ipsius contemptum, quandoque paterni honoris zelo accensus, vitia ipsorum acriter reprehenderet, hypericisim et simulationem illo- rum detegeret, tunc pridem palam facta est invidia et odium, quod adversus ipsum, donec in crucis trunco ipsum suspenderent, tenacissimum conceperant. In ejus namque crucifixione manifesti in Hebraismo fiebant illi, qui recta erga illum et qui sinistra intentione forebantur. Unde Hugo Cardinalis ait : « Crucifixio Domino patuerunt inique « cogitationes Judæorum, quæ usque tum latuerunt « in cordibus eorum. » Nicodemus enim, qui prius

ocultus delitescerebat, tunc sectatorem et discipulum se Christi esse manifestavit; idem quoque fecerant alii, ut Joseph ab Arimathia et illi, qui *Revertebatur percutientes pectora sua*. Deus olim per os Osee Propheta, vii, 1, prædixit : *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samarie*. Judas etenim se proditorem manifestavit; Caiphas pronuntiavit, *Joan.*, xi, 50 : *Expediit ut unus moriatur homo pro populo;* denique iniquissimi Scribæ, Pharisei, et Sacerdotes aperte se coram Pilato steterunt, vociferantes, *Joan.*, xviii, 30 : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissent eum.*

7. — S. Bonaventura ait : « Quia hoc consecutum « est Passionem Christi, quia videlicet, Judæorum « carnalium et hypocritarum fuit cordis iniquitas « revelata. » S. Augustinus, *Epist.* 30, ait : « Per « Domini Passionem et insidie Judæorum, et disci- « pulorum infirmitas patuit. »

Additiones.

a. — *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. S. Hilarius in *Psalm.* cxviii, *litter.* Ghinell, gladium hunc explicat esse severitatem divini Judicii. Cujus quidem sententia, licet, quantum spectat ad B. Virginem, non sit tenenda cum non videatur cur purissima hæc Virgo, quæ nec originale habuit, nec actuale quoddam peccatum perpetravit in illo die timere sibi deberet, credibile tamen est quod ex compassione, quoad alios qui regio huic tribu- nali subijcerent, animam Virginis aliquis gladius spiritualis pertransibit, cum etiam Angeli, ad Judicii illi terribilitatem et rigorem commovebantur. *Vide additiones, D. I Ad.*

b. — Pulchre hic Cassianus, lib. II, 21, ait : « Simeon lætis tristitia miscet, supremis ima con- « necit, et duci bellum parat, et gloriam ignomi- « nie conjungit, et quæ sunt Dei et hominis « cantat, et simul virtutis et infirmitatis prosequi- « tur actiones. » Dum post tantam gloriam decanta- tam, ad passionis ignominiam mentem convertit. Nec sine mysterio, valde enim cito voluit Deus temperare Virginis gaudium ex felicissimo ejus partu proveniens, tristibus hæc Simeonis oraculis. Etenim certum est in mundo nullum parvas esse gaudium, nec perpetuum.

Conscientiæ integritas consolatur electos. Hæc Apostolum medios inter rabidos cames confortavit : *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum, usque in hodiernum diem, Act.*, xxiii; sed ipsi electi consolatione in hac vita egent. Tobias senior dicebat Angelo cum animanti ad lætitiã : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et bonæ celi non video?* Satius etenim hæc verba diceret quæcumque anima peccatorum onere gra- vata. Qualiter namque is qui in divina vitæ inimici- cilia, qui cor suum sentit lanari puncturis et mortalium culparum remorsibus, qui scit, in unico

se pendulum filo, barathro immingere infernali; quomodo, inquam, talis unquam adduci poterit ut vel minimum interiori lætitiæ aut consolationi indulgeat locum? « Rosa quæ redolet, crescit cum « spina quæ pungit. Quicumque peccaverit, quasi « Emericus est plenus spinis, » inquit S. Chrysosto- mus in *Psal.* xc. Non secundum exteriorem speci- em et apparentiam, lætitiã dijudicanda est, sed in conscientiæ sinu oculos conjiciamus oportet, in- quirentes, utrum conscientia mortalium criminum, appetitum inordinatorum et passionum puncturis vellicetur.

c. — Solet Deus charioribus sibi amicis graviore quandoque immittere tribulationes, sciens eos similes subire amore sui tantum, et non ob alios respectus; unde et Matrem suam sanctissimam graviore opprimere voluit doloribus, et quidem, tam intensis, ut cor illius quasi gladius acutissimus penetrare videretur; ad hoc ut eidem majorum coelestium præmiorum spes accresceret. Consolatio- nes enim spirituales relationem habent ad passio- nes quas quis subit amore Dei, et non ob alios respectus. Cajetanus considerans hæc verba Apo- stoli, II *Cor.*, i, 7 : *Spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod si socii passionum estis, sic eritis et consolationis,* ait : « Certi sumus, quod quemadmo- dum in nobis abundantiam afflictionum, comita- « tur abundantiam consolationis; ita in nobis parti- « cipatio afflictionum comitatur participationem « consolationis. » Id quod Apostolus in seipso ex- pertus fuit, dum maximas inter angustias, abundabat consolationum suavitate, prout sæpe sæpius ipsemet attestatur, quemadmodum et S. Lucas de Apostolis tractans scribit : *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu, contumeliam pati.* *Act.*, v, 41. « Consolantur in « ipso corde, » inquit Carthusianus, « copiosam « exultationem concitando ex contemplatione divi- « norum, sic ut tribulationis acerbilas vix sentia- « tur. » Ad eandem nos fiduciam animaturus, Apostolus Petrus, I *Ep.*, iv, 3, ait : *Communicantes Christi passioibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Circa quem textum, Hugo Cardinalis ita discurrit : « Primo oportet ut « simus fratres Christi ex parte matris, ut tandem « simus fratres ex parte Patris. Mater Jesu est « Maria, quæ interpretatur *anara*, hæc est tribu- « latio, vel penitentia. Pater ejus est Deus : *Ego « dixi Dii estis*, id est Domini. Si vis habere secun- « dum, scilicet ut sis frater in gloria, necesse est « ut habeas primum, ut sis frater in peniten- « tia. »

S. Bonaventura circumstantiam temporis accurate perpendit, quando Deus Eliam miraculoso panis, carniæque pabulo per corvos sustentare, et apparitionibus divinis recreare studuit. Tempusne scitis? *Cum fugeret Jezabel*. Dum propter Dei servitium angustiamur, dum ejus amore voluntatis nos subjicimus tribulationibus, tunc de refocillatione et coelestium consolationum refectio securi vivimus. « Fugientis Jacob a facie fratris sui, » verba sunt Seraphici Doctoris, « et super lapidem dor- « mientis, apparuit Dominus, et ei magnam conso- « lationem infudit. Apparuit Moysi exultanti, et « oves pascenti; quod non accidit ei quando nutrie- « batur in domo Pharaonis. » Priusquam mortale nostrum indueret corpus, Deus se in mundum, per Isaiam, lxx, 3, diu ante protestatus fuit venturum eo fine, ut omnes amore sui passos, tribulatos, angustiatos refeceret, atque oblectaret : *Spiritus Domini super me, eo quod auerit me; misit me ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem consolationem lugentibus Sion, et daren eis coronam pro cinere, et oleum gaudii pro luctu*. Nota quod dicit : *ingentibus Sion*. Non dicit : *ingentibus Jericho*, vel Babylonis, qui lugent pro mundo vel mundi delectationibus. Tales enim non consolantur a Domino.

d. — Spiritus Sanctus, Beatissime Virginis inclutus Sponsus, cujus opera, in virginis visceribus suis Verbum conceperat, et generarat æternum, animæ S. Simeonis senioris sese ingerens, eumdem promovit ut in Purificatione ejusdem Beatæ Virginis et presentatione parvis sui in templo, eidem prædiceret : *Ecce positus est hic in signum cui contradicetis; et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Origenes, in *Catena aurea* citatus, inquit : « Nulla docet historia, Mariam Virginem ex hac « vita gladii occasione migrasse, præsertim quum « non anima, sed corpus soleat ferro interfici. « Unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur : *Et gladius in labiis eorum*; hoc est, dolorem « dominicæ Passionis animam ejus pertransisse; « quæ etsi Christum, utpote Dei Filium, sponte « propria mori videret, mortemque ipsam non « dubitaret esse devicturum, ex sua tamen carne « procreatum, non sine doloris affectu, potuit vi- « dere crucifigi. » S. Ephrem, de Redemptoris nostri Passione disserens, pietissimum et dolorosissimum Matrem introducit hæc verbis, S. Simeonem seniore alloquentem : « O Simeon, ecce « gladius, quo cor meum trucidandum prædixisti. « Ecce gladium, ecce vulnus, mi Fili et Deus meus. « Mors tua cor meum subit; disrupta sunt viscera « mea. »

Porro quale dolorosissimum hujus gladii vulnus fuerit, ex pluribus capitibus facile deducitur et data occasione, ostendemus. Satis sit cum beato Anto- nino septem enumerasse motiva doloris, quorum primum se tenet ex patientis dignitate; *secundum*, ex inferentis perversitate; *tertium*, ex temporis solemnitate; *quartum*, ex loci vilitate; *quintum*, ex afflictionis universitate; *sextum*, ex consuetudinis societate; *septimum*, ex fructus paucitate.

VERSUS 36.

Et erat Anna Prophetissa, filia Phaniel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.

Et erat Anna.

1. — S. Bonaventura ait: « Post testimonium sexus virilis sequitur testimonium sexus muliebris; decebat enim Christi adventum testimonium habere ab omni genere personarum, ut inexcusabiles sint, qui non credunt Evangelio; unde Christus habuit testimonium et angelicum et humanum; et iterum quantum ad simplices, et quantum ad perfectos; et iterum perfectorum in utroque sexu, ut ostendatur, quod uterque sexus ad redemptionem spectabat, sicut uterque ceciderat. » Pergit deinde ostendere, septem de Christi nativitate perhibita fuisse testimonia, quorum primum fuit stella illa prodigiosa, quæ noviter in celo rutilans tres Reges ab Oriente evocavit; secundum, venerandum puero recens nato a pastoribus redditum obsequium; tertium, adoratio Magorum; quartum, confessio et cordialis amplexus, quo S. Simeon senex puero occurrebat; quintum, hujus Annæ viduæ predictio; sextum, Angelorum, canentium jubilus; septimum, sanctorum Innocentium prætorium, de quibus Ecclesia ita canit: « Cujus parvionem Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt; » ac tandem Seraphicus Doctor concludit: « Et sic omnis natura, omnis sexus, omnis ætas Christo nascenti testimonium perhibuit, quia ipse debebat reparare omnia. »

2. — Albertus Magnus aliam quamdam considerationem instituit, quia originem miseriarum nostrarum quæ jam per Filii Dei in hunc mundum adventum restauratæ esse noscuntur, dicit: « Ut ex eisdem habeamus et ex tot reparationem vite, ex quibus et quot habuimus initium mortis: vir enim et mulier sibi et diabolo consentientes, induxerunt mortem; similiter vir et mulier sibi in vicem et Deo consentientes, confessione sua adduxerunt vitam: duo virgines Joseph et Maria, duo conjugati Zacharias et Elisabeth prophetaverunt; supererat de viduis, et ideo venit ad templum Simeon viduus, ut creditur, quia cum uxore venisset; venit Anna vidua, ne aliqua vite professio deesset vel sexus. » Non sine mysterio ad sui confessionem, omnis ætatis, sexus, conditionis et professionis homines concurrere voluit, id enim ita ordinavit, non solum ne aliquis seipsum non agnovisse diceret, aut excusare posset, verum etiam ut omnibus innotesceret, ipsum de celo descendisse pro salute uniuscujusque indifferenter, absque ulla vocationum, statuum, hominumque discrimine; voluitque ostendere se ei, quæ magis

ipsi placet, dona et gratias suas conferre. Unde Beda ait: « Prophetavit Simeon, prophetavit copulata conjugio, prophetavit virgo, debuit etiam vidua, ne aliqua aut professio deesset aut sexus. » Omnino cum his consonat, quod S. Ambrosius, in *Luce*, de hac Dominica a quovis hominum statu et conditione facta recognitione hisce verbis scribit: « Non solum a pastoribus, ab Angelis et Prophetis et parentibus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accepit testimonium; omnis ætas et uterque sexus, cunctorumque miracula fidem adstrunt: virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adoratur, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat. »

3. — Porro de hac sancta muliere jure dici potest: *Secundum nomen tuum, sic et lux tua*, siquidem Anna idem significat quod gratia. Unde S. Bonaventura ait: « Anna interpretatur gratia, in quo ostenditur, quod recte decebat hanc mulierem prophetare, quæ erat habitaculum gratiæ; » merito enim illa Christum annuntiare debuit, qui ad novam gratiæ legem promulgandam venit.

4. — S. Fulgentius, *Epist. II ad Gall.*, illam cum generosa virgine Judith hisce verbis comparat: « Quam vero multum Deus in utraque vite contentiam sibi placitam demonstravit; nam Judith spiritualibus armis accincta caput lascivi prædicatoris accinxit; Anna vero ipsum caput Ecclesie Spiritu Sancto repleta cognovit; quia sanctimoniam virginalem, vidualis continentia gradu inferiore subsequitur, ideoque postquam de virginitate natus est Dei Filius, vidualis linguæ dignatus est officio prædicari. »

Hæc processerat in diebus multis.

5. — Dionysius Carthusianus ait: « Hoc est, dum vixit, et virtutibus magis processit, quam annis quotidie augens merita sua. » Albertus Magnus quoque similem adducit considerationem super verbum *processerat*, quo S. Lucas non sine mysterio utitur: « *Processerat*, quia semper profecit. » *Eccles.*, xvii, 6. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Beda morum hujus sanctæ mulieris innocentiam hisce verbis admiratur: « Devote continentiam, et venerandæ ætatis, digna per omnia quæ Domino incarnato testimonium ferret. » Notat Albertus Magnus, quod Spiritus Sanctus illam per os Evangelistæ ex pluribus capitibus commendat. « Commendatur a nomine, a genere, a longæ nimitate, a castitate, et cultus divini devotione. » Et quidem inter alias virtutes in preclara hac anima specialissime sex insigniores virtutes notare possumus, nimirum castitatem, orationem continuam, abstinentiam, exactam divinum mandatum observantiam, sollicitam animi ejus ad divinum cultum applicationem et stabilem in omnibus hisce

sanctis operibus, per multosque annos continuatam perseverantiam.

6. — Observandum quoque est hoc loco, quod tametsi Hierosolymis multi reperirentur Scribæ, Legis Doctores, Sacerdotes, Pontifices, primariique synagoga Principes, nihilominus increata illa et incarnata Sapientia, de qua dicitur: *Omnia in sapientia fecisti*, se decrepita cuidam vetula manifestare voluit; ex quo clare deducitur, Deum animas fideles non propter nobilitatem et natalium celsitudinem, non propter doctrinam, scientiam, nec propter divitias, aut dignitatem, sed propter innocentiam et bonitatem vite, ob honorum morum integritatem et cordis simplicitatem dumtaxat æstimare: *Cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.

7. — S. Bonaventura sanctam hanc mulierem castitatem in pluribus statibus integre observasse, notat. « Habuit, » inquit, « continentiam virginalem, vidualem et conjugalem, pro loco et tempore. » Tertullianus in laudem pudicitie et abstinentiæ, quæ comes ejus est individua, ita scribit: « Ostendens a nullis melius intelligi Christum, » quam semel nuptis, et sæpe jejuniis. » Inter alias beatitudines admodum celebris est illa: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbant.* Et ideo Hierosolymis multi fuerunt, qui Redemptorem nostrum in templo minime viderunt, idque hæc dubie ea ex causa, quia cor et animam adeo puram non habuerunt, sicut hæc vidua habebat. Theophylactus, *ibid.*, ait: « Sicut speculum, si fuerit mundum, accipit imagines; ita et anima pura faciem Dei inspicit. » Presenti igitur proposito verba illa S. Joannis, *Epist.* II, 2, accommodari posse videntur, dicentis: *Videbitis eum sicuti est*, mox vero idipsum consequendum pariter nobis tradit, dum ait: *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* S. Augustinus legit: « Castificat se, quia, qui continenter vivunt ad Deum clare videndum perspicaciores oculos habent. » Tertullianus, *lib. I ad Uxor.*, cap. viii, de eadem virtute loquens ait: « In legritas solida, et tota sanctitas de proximo visura faciem Dei. »

8. — Didaeus Stella existimat, quod meritum castitatis, quæ hæc mulier præfulsit, fundamentum quodammodo dici possit revelationis huic mulieri, de Filio Dei factæ, participii Spiritus Sancti, nec non doni prophetiæ, quod prædita fuit: « Vocal castissimam, quia castitas et corporis pudicitia maxima dispositio est ad scrutanda et penetranda cœlestia arcana; » quia in libro Sapientie, vii, 25, 26, scribitur: *Nihil inquinatum in eam incurrit, candor est enim lucis æternæ, speculum sine macula, innumerabilis honestas per manus illius.* E

contra vero sapientia cœlestis ut plurimum est honestati conjuncta.

9. — Idem Stella observat quod Evangelista, postquam dixisset: *Processerunt in diebus multis*, immediate subjungat: *vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua*, quasi causam reddens longitudo vite, castitatis et honestatis illam laudat. Etenim post mortem conjugis sui octoginta quatuor annis continensissime vixerat. « Ecce commendatur a viduitate, » inquit Albertus Magnus, « quod magnum est, quia dicit Ambrosius, quod juvenes viduæ, plus quam virgines tentant, propter recitationem delectationis expertæ. »

Additio.

a. — *Et erat Anna Prophetissa, filia Phaniel de tribu Aser.* Quæstio hic exurgit, quare Evangelista, hic tam accurate meminerit patris Annæ, nempe Phanielis, et nullo modo recordetur mariti sui ut fit in aliis viduis, v. g. Judith, cujus vir dicebatur Manasses. Ratio esse potest quod Judith et alie viduæ in seculo habitabant, in urbe, ac virorum suorum domibus, ac ideoque, non mirum, quod illorum tam accuratam faceret sacer textus mentionem. At Anna, cum esset mulier religiosissima templo inservens, Deoque tota dedita, hinc sacri Historiographus, non viri sed patris sui Phanielis, id est, *Dei visionis*, quod interpretatur *Phaniel*, meminit quod nempe Deum in templo, facie ad faciem esset visura. In servitio et Ecclesia Dei desudantes, spiritualibus Deus restaurare assolet consolationibus, favoribus et gratiis.

Cor Davidis, per totum vite tempus innumerabilem transixerunt puncture tribulationum, hinc incessanter persequente Saule, illic calumniantibus annulis, imo et proprio filio in paternam conjurante cœdem; nihilominus in omnibus istis angustiis, juxta tribulationum mensuram, interna se consolatione recreatum proficitur divinitus, inquit, *Psal.* xciii, 19: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Hunc ipsum infallibilis semper modum methodumque servavit providentia Dei, ut scilicet omnibus, amoris servitium divini intuitu, labores, tribulationes aut persecutiones sufficientibus, opportuno impetiretur solatium. Ita Abraham, vix domo, patria, amicisque relictis, in aliena hospes cepit degere terra, illico visionibus, revelationibus, aliisque favoribus cœlestibus delinitus fuit, filiumque obtinuit Isaac qui *risus* interpretatur, spiritualis symbolum lætitiæ. Numquid et Moyses, primum a Deo constitutus Synagoga fundamentum, per quadraginta annos in Pharaonis aula traductus, ubi tanquam filia Regi filius continuus gavisus fuerat obsequiis, cœlestes contemplari meruit visiones? *Moyses pascebat oves Jethro, apparuitque ei Dominus in flamma ignis,*

Exod., III, 4. At quando dicta ei obtigit visio? Pharaon quarebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu ejus, moralis est in terra Madian. *Exod.*, II, 15.

Christiani in primitiva Ecclesia risus erant et Iudicium Hebraismi et Gentilismi, quos qui benignior mitioribus affecisset tormentis equales, castatos, aliaque similia inferebat supplicia, ideoque divina providentia interiori spiritus dulcedine eorum medullas replebat, quemadmodum expertus est ille qui dicebat, *I Cor.*, IV, 12: *Persecutionem patimur et sustinemus; blasphemamur et obsecramus.* Quia nimirum caelestes degustaverant consolationes: *Si tamen gustastis;* quae ulterius verba elucidans Dionysius Carthusianus inquit: « Tunc praefata documenta « poteritis adimplere, si divinae bonitatis suavitatem « interiori gustastis palato. » Cujus hanc assignat rationem, quia nimirum « homo diu non potest « esse sine delectatione; delectationem naturaliter « accipit. » Quae si in sensu et in carne resederit, vae nobis, quia talis spirituale excludit juxta illud: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus.* Si vero animum occupavit, salus nobis est, omnes mundi fastidientibus deliciis, juxta Psalmistam dicentem, *Psal.* LXXXIII, 41: *Melior est dies una in atrivis tuis super milia.*

Ut discipuli Christi medias inter innumersibilium persecutionum procellas, vitam constanter ducerent apostolicam Spiritum accipere Praeclatum de quo sancta canit Ecclesia: « Consolator optime, dulcis « hospes animae, dulce refrigerium. In labore « requies, in aestu temperies, in fletu solatium. » In virtute hujus ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu, contumeliam pati.

Ab universalibus ad particula descensuri, religiosos contemplerur, fulera Ecclesiae sanctae, in dilectissimis Elisei discipulis figuratos, quos dum suos alloquitur, singulos his verbis exhortatur Bernardus: « Si penitentia vestra minatur miseratione crudeli, paulatim geminis corona vestra « privatur. Quid tamen agimus? ubi Prophete « farina? Si quidem mors in olla est, et mortifici « camini lota die in jejunio vestris, in laboribus « frequenter, in vigiliis supra modum; praeterea « quae intrinsecus sunt, contritio cordium et multitudine tentationum; mortificamini, sed propter « eum qui mortuus est pro nobis. » Quam amarulentam potionem, haec protinus demulcet suavitatem, inquit: « Quod si abundat tribulatio vestra pro « eo, abundat consolatio vestra per eum, ut in eo « delectetur anima quae in his renuit consolari. »

Jerusalem Ecclesiam denotat, ideoque quotannis in sacrorum temporum solemnitatibus, cantare consuevit: *Urbs beata Jerusalem;* et iterum: *Vidi Jerusalem novam descendentem de caelo.* Ast qualibus haec ipsa divinarum consolationum ine-

bruiat affluentis? Audite Isaiam Prophetam, *LXVI*, 10: *Lactamini cum Jerusalem et exultate in ea omnes, qui diligitis eam. Gaudeate cum ea gaudio universi qui lugetis super eam, ut sugatis et replamini ab ubere consolationis ejus, ut deliciis affluatis ab omni modo gloria ejus, quia haec dicit Dominus: Ego declinabo super eam quasi fluxum pacis, ad ubera portabimini, et super genua blandiantur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini servis ejus.*

Qui propter Deum bibit flumen afflictionum et venit in profundum aquarum, ut ait *Psalmus* LXXIII, 3, aequum est ut bibat tanquam fluxum pacem. Qui enim multa sustinet, in multis consolatur.

VERSUS 37.

Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor non discidebat de templo, jejunius et obsecrationibus serviens die ac nocte.

Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor.

1. — Albertus Magnus hanc octoginta quatuor annorum numerum, non tempus viduitatis, sed aetatis quam tunc habebat, merito existimat; tametsi enim Didacus Stella contrarium sentiat, dum ait: « Vixerat cum viro suo annis septem, post eum « jus obitum octoginta et quatuor annos superstes « castissime vixit, » nihilominus Albertus Magnus ita scribit: « Suae aetatis, quando haec facta sunt, « quae hic narratur, octoginta autem quatuor « sunt, septies duodecim; unde quantum fuit eam « viro in deliciis, tantum afflixit se jejunio et « viduitatis opprobriis et penuriis. »

Quae non discidebat de templo.

2. — Iansenius sanctam hanc viduam de illarum mulierum numero fuisse scribit, quae ut *Exodi*, cap. XXXVIII, et *lib. I Reg.*, cap. II, legitur, cum multa integratissimas mulieres essent, ad portam tabernaculi continuo vigilabant: « De mulieribus « similis pietatis legitur, quae excubabant ad ostium tabernaculi, vel ut alii vertunt: conveniant « ad orandum. » Dionysius Carthusianus autem ipsam non semper et continuo in templo demorantem fuisse existimat, quia Evangelista subjungit: « Haec ipsa hora superveniens, non quod ibi sine « intermissione permanserit, et omnia corpori necessaria egerit, cum statim subdatur: *Haec ipsa « hora superveniens;* itaque de templo non discessisse, quia omni hora opportuna, imo frequenter « praesens, ibi fuit; de homine multum devoto, et « diu in Ecclesia perdurante dicitur, quod semper « est in Ecclesia. » Albertus Magnus aliam quandam affert expositionem, dum ait: « Dicendum,

« quod non dicitur discedere, quae semel se templo « devovit. »

3. — Glossa ait: In sensu morali « anima « a templo non recedit, cum semper studet et castum « et immaculatum custodire templum corporis sui. »

4. — Euthymius huic perpetuae templi frequentationi, orationumque sarum continuationi, prophetiae donum attribuit, quo praefatis: « Ob hoc « enim prophetica etiam gratia devota fuit, quia « non discidebat de templo, jejunio et obsecrationibus Deo serviens die ac nocte. » Inter alias Anthonas quibus Ecclesia in officio dedicationis templi usitur, haec quoque numeratur: *Vero non est hic aliquid, nisi domus Dei et porta caeli,* hic enim dona et gratiae caelestes in homines deplere solent, illos quidem vel maxime, qui illas cum devotione et reverentia semper frequentant; *Dominus in templo sancto suo.* Quid mirum, igitur, si haec sancta mulier cum praeter ceteris agnovit et reverita fuerit, quae praeter alios, ex specialiori pietatis et devotio-nis instinctu, in templo commorata fuit?

Jejunio.

5. — S. Maximus jejunii praecognitione studiose ponderans, ait: « Deus jejunus et sanctus est, atque « ideo qui vult proximus Deo esse, debet imitari, « hoc esse quod Deus. » Ecce tibi unum inter alia praecleara hujus sanctae feminae merita, propter quod ipsa, praeter cunctos populi Israel filios, Deo proximam appropinquavit: « Qui vult proximus « Deo esse, etc. » De Moysse et Elia, qui Filium Dei incarnatum in monte Thabor proxime videre meruerunt, eo quod quadraginta dierum jejunium constanter continuaverunt, Tertullianus loquens, de Moysse dicit: « Merito ei in carne se Dominus ostendit collegae jejuniorum suorum. » De Elia vero pariter inquit: « Tanta est circumscripti victus « praerogativa, ut Deum praestet homini contubernalem, parem revera pari. » Moyses, ut in *Exodo*, XXX, 3, legitur, Dominum instanter rogavit, dicens: *Ostende mihi faciem tuam;* at vero, dicit fortasse aliquis, numquid Moyses verum esse sciebat, quod postea Apostolus, *I Cor.*, XIII, 12, ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem;* imo quod Deus ipse dixit: *Non videbit me homo et vivet,* in quo ergo spes et petitio ejus fundabatur, ad hoc ut temeritatis redargui non posset? S. Ambrosius difficultatem hanc hisce verbis, *Serm.* in *I D. Quad.* resolvit: « Quamvis illum ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, jejuniorum tamen gratia proximum illum divinitatis consortio faciebat; » adeoque nec viduae huic diffidentum erat, quominus in sacrosanctam Redemptoris humanitatem oculos suos deligere posset, siquidem « jejuniorum gratia proximam illum « divinitatis consortio faciebat. »

Et obsecrationibus.

6. — Fulgentius observat modum, quo nobis haec vidua a S. Luca representatur, ut digna fieret, quae Redemptori nostro visibiliter occurreret et videret eundem: « Non loquitur de viduae deliciis « dedita, sed de ea, quae non discidebat de templo, jejunio et obsecrationibus, serviens die ac nocte. » Cujus utriusque boni operis consociationem S. Bonaventura bene advertit, dicens: « Bene « jungit jejunium et orationem, quia jejunio sanantur « tur pestes corporis, et oratione pestes animae. »

7. — S. Ambrosius immensa bona, quae ex oratione in nos redundant, considerans, ad eandem exercendam nos exhortatur, quia ut Deo magis appropinquamus, efficit: « Quia justis hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, abhinc « induamur hujusmodi studium; ut appropinquet « anima nostra Deo, appropinquet oratio. » Porro sancta haec femina orationi semper intenta, corde et spiritu Deo semper vicina erat, quae insuper digna facta est, quae eidem corporaliter quoque appropinquaret: « Ut appropinquet anima nostra « Deo, appropinquet oratio. »

Serviens die ac nocte.

8. — Diu noctuque orationi faciendae dedita semper et intenta erat. Unde Albertus Magnus ait: « Ecce continuitas, die enim jejunabat et operibus « inestebat, et nocte orabat, » sciebat enim quod ut *Psalmo* XI, dicitur: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Et ideo priusquam caelestis Magister noster orationis exercitium nobis praeciperet in S. Luca, XVII, 4, dicens: *Oportet semper orare et non desicere, eandem ipsemet prius exacto exercere et adimplere satelitem.*

9. — S. Bonaventura, *Serm.* XXVII, de *uno Conf.*, rationem assignat, cur ab oratione facienda nunquam desistere debeamus. « Debet esse continua « oratio, ut sicut nunquam desiccat pugna, sic nunquam cessemus petere misericordiam, » Chrysostomus, in homilia quadam, vitam sanctae hujus feminae cultui divino et orationi in templo totaliter intentae, adeo ut quae insuper continuo jejunabat, de cibo vel potu nequaquam cogitaret, ad vivum nobis delineat, ac demum subjungit: « Nos vero « docet obtemperantes Deo, semper omnem vitam « in laudibus Dei precibusque transigere majori « studio curam agentes divini cultus, quam vitam « nostrae. »

10. — Quod si quaesieris, qua ratione anima diu noctuque sancto huic exercitio vagare semper possit, responderi tibi per consilium quoddam poterit, quod B. Petrus Damianus, *lib.* VIII, *Ep.* XI, quondam Romanae urbis gubernatori Cynthia suggestit, hunc namque monuit, ut ad populum Romanum bene gubernandum ab oratione faciendae etiam non

nunquam desideret, maxime si orationis exercitium bono publico præjudicium aliquod aut impedimentum offerret, cuius consilii hanc rationem edidit: « Scriptum quippe est, qui conservat legem, a multiplici orationem, et sacrificium salutare at- tendere mandatis: justitiam ergo facere, quid aliud est, quam orare? » Porro oratio nihil aliud est, quam quædam mentis nostræ in Deum elevatio; huic autem mentis elevationi nec locus, nec tempus, nec operatio aliqua obstaculo esse potest, quia cor nostrum, in quovis opere bono ad Deum elevare possumus. Cui accedit, quod exacta divinum præceptorum adimpletio, cordialisque animi nostri ad opera virtuosa, et ad servitium Dei applicatio, est continua quædam et in conspecta divina majestatis valde accepta oratio.

11. — Hæc S. Anna veluti Davidis orantis æmula dicere posse videtur: *Septies in die laudem dicit tibi*, siquidem in persolvendis per orationem sua laudibus divinis, integros dies et noctes consumebat. Enimvero vix tres illi pueri Hebræi in fornacem Babylonicam coniecti fuerant, cum ecoe subito Filius Dei in eorum fuit societate conspectus: *Spicis quarti, similis Filio Dei.* « Patitur se Deus, » inquit Chrysostomus, *Hon. de tribus puer.*, « cum a pueris in supplicio numerari. » Quænam vero est ratio, quod supra illa majestas altissimi Dei intra fornacis ejusdem et quidem Babylonicæ fornacis flammam ingredi designata non fuerit; nimirum quia infantium istorum linguas in lagdes divinarum relaxari audivit, siquidem solemne illud composuerunt canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, etc., in, 57. Tunc hi tres pueri quasi ex uno ore, etc. Pari quoque ratione, si vultis scire quare Filius Dei postquam in hunc mundum feliciter natus fuit, sanctam hanc vitam hoc privilegio honorare voluerit, ut ab ipsa, præ cunctis aliis clarior et apertius agnosceretur, nimirum causa est, quia erat *obsecrationibus serviens die ac nocte.*

Additio.

a. — *Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor*, etc. Palestro ordine hic Spiritus Sanctus miram Annæ continentiam describit, non tantum a statu, quo ante matrimonium virgo, et postea per tam longum tempus in castitate permansit, sed etiam a mediis quibus illam acquisivit, et illibatam servavit: *Jeiuniis*, inquam, et *obsecrationibus serviens die ac nocte*. Ad acquirendam enim continentiam et conservandam, multum confert maceratio et castigatio carnis.

Propheta Regius, ut appetitus carnales tyrannice nobis predominantibus debite coercondos, optimum nobis exemplo suo præscribit remedium, dum ait: *Afflicti sum*, id est, carnis et corporis nostri macerationem et castigationem: *Castigatio mea in matutinis; inducbar cilicio*. Psal. xxxiv, 13. Unde

S. Petrus, ut fideles ad continenter vivendum animaret, suadet iisdem, dicens: *Propter quod succineti lumbos mentis vestræ*. Et ideo Doctor Angelicus, hoc nomen *Castitas*, unde derivetur his verbis docet, II II, q. 151, art. 1: « Nomen castitatis « sumitur ex hoc quod per rationem concupiscentia castigatur, quæ, ad modum pueri, est refræ- « nenda. »

S. Bruno, Carthusianæ solitudinis celeberrimus Patriarcha, ut castitatem in suis religiosis vivaciter conservaret, in *constitutionibus suis*, illos cilicium super nuda carne deferre præcepit; et in sermone quodam, super illa verba: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*, ita scribit: « Non possunt aliis esse lucernæ ardentes, « nisi illi qui lumbos præcinctos habent. Nisi enim « ignis inferior extinguitur, superior lucere non « potest. Inferior ignis luxuria est; superior vero « quis alius nisi gratia Spiritus Sancti? Lucernæ « autem Christi sunt qui nisi continentiam et casti- « tatem habuerint, non lumen et claritatem, sed « tenebras ministrant et cæcitatem. » Ad hunc autem finem consequendum, extreme necessarium est corporalis austeritatis cingulum.

S. Bernardinus dicit quod inter alia vitia carnis supprimendum, efficacissima remedia, unum et quidem efficacissimum sit *carnis maceratio*. Cujus illam omnibus passim notam assignat rationem, quia: « Equus multum famelicus non recalcitrat. » Idem quoque refert F. Egidium, dum aliquando interrogaretur an etiam is qui in vite perfectione proveci sint, quique carnem suam habent edomitam, et spiritui perfecte subjectam, adhuc nihilominus jejuniandum corporisque macerationi incumbendum sit? respondisse: « Quare carnes recentes « saliantur? » Cum ei diceretur ab alio, id eo fine fieri: « Ne putrescant; » subjecti dictus Sanctus, ob eandem quoque causam, ut videmus per experientiam viros etiam sanctissimos et in virtutibus firmiter habitatos, nequaquam carnis macerationem negligere, sed jejuniis, ciliciis, disciplinis, aliisque similibus vite rigoribus continuam dare operam. Nam ut S. Augustinus ait: « Si queris, « invenies non aliter in nobis regnare Jesus nisi « per asperitates. » Lib. III de *Cons. Evang.*, c. xx.

VERSUS 38.

Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino.

1. — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, tem- « plum Spiritu Sancto movente ingrediens: quo- « niam Spiritu Sancto revelante cognovit, quis « esset, et quid ageretur in templo. »

2. — Cajetanus post verbum *superveniens*, adjicit verbum *assistens*, ut sit sensus, *et hæc ipsa hora superveniens* » et dicti Simeonis assistens confitebatur « Domino; » putat enim Cajetanus, quod in textu Evangelistæ una dictio, scilicet *assistens*, deficiat, qua denotetur hanc viduam discursum Simeonis fuisse persecutam. « Deest una particula, significans « quod respondendo confitebatur, hoc est, post- « quam Simeon laudavit Deum confessusque est « mysteria Jesu, Anna prosecta est confessionem « Simeonis, respondendo illi, confirmando dicta « illius, et est de confessione Messie laudando « Deum. »

3. — Euthymius vocem *confitebatur* exponit de gratiarum actione ob incarnationem facta: « Gratias « agebat Deo incarnato. » Unde sanctæ luxus femine gratitudo omnes christianos hoc tempore vel maxime extimulare deberet, ad exhibendum se gratos Deo ob datum nobis ab eo Filium ejus unigenitum, et ad agnosendum infinitum illud beneficium, quod idemmet Filius Dei per incarnationem suam contulit: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est.*

4. — Dionysius Carthusianus ait: « *Confitebatur* « Domino, id est, Christum, quem vidit presentem, « laudavit, eique gratias retulit, quod juxta Prophe- « tarum oracula ad mundi redemptionem jam des- « cendisset. »

Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

5. — Albertus Magnus Origenem cupidum fuisse sciendi, scribit, qualesnam Annæ circa divinum hunc infantulum fuerint discursus, et respondet: « Hæc igitur sunt: quia Angelus nuntiabat; intra « uterum matris filius exultabat; Angeli caneabant; « pastores laudabant; stella apparebat; Magus « currebat; mutus loquebatur; conjugata prophete- « tabat. »

6. — Didacus Stella verba illa: *Loquebatur de illo*, in sensu morali exponit dicens: « De Deo loquebatur, « non de vanitatibus, fabulis, caducisque eventibus, « non de luxu, aut de carnis illecebris, juxta illud « I Petri, cap. iv: *Si quis loquitur, quasi sermones « Domini*. Admonetur hic verba nostra casta de- « bere esse et pia; » ita enim suadet Apostolus, II ad *Timoth.*, xii: *Prophana et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.*

7. — Considerandum quoque, quod Evangelista non sine mysterio personas declaret, quibuscum ipsa de adventu et incarnatione Messie discurreret: *Omnibus qui expectabant redemptionem Israel*; cum illis inquam, qui Filium Dei cum frequentibus suspiriis desiderabant, quia in Scribis, Phariseis, aliisque invidis et malignis Christi adversariis Hebræis,

pro hujus mysterii intelligentia et crudelitate nulla erat capacitas et dispositio: *Ubi auditus non est, non effundis sermonem*. Eccli., xxxii, 6.

Additio.

a. — *Et hæc ipsa hora superveniens, confitebatur Domino*, etc. Magnum certe beneficium mulieri viduæ concessum, de Christo loqui, eamque in carne agnoscere: quod divus Fulgentius, *Epis. II ad Galat.*, xv, tribuit Annæ castitati, dicens: « Quia « sanctimoniam virginealem viduæ continentia, « etc.; » ut supra refertur; « non tamen de illo « loquitur vidua deliciis dedita sed casta. » Nec enim puritas infans Jesu poterat capi ore alio nisi puro et casto. Continentes enim plus de divino lumine participant, sentique ad celestes illustrationes et revelationes capiendas magis dispositi.

S. Jacobus Apostolus, inter effectus, qui a pudicitia et castitate dimanant, unum recenset magnopere æstimandum, videlicet celestium mysteriorum claram scientiam et cognitionem; siquidem juxta Cornelii a Lapide expositionem, per hanc sapientiam de qua loquitur dicens: *Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est*, fidei nostræ mysteria, doctrina et dogmata theologica, Scriptura Sacra et omnia que ad christiani hominis intelligentiam pertinent, intelliguntur. S. Thomas, Doctor Angelicus, qui puritate virginali mirifice condecoratus fuit, pariterque in materia theologiarum et Sacræ Scripturæ intelligentia, supra modum illuminatus, super predicta S. Jacobi verba ita scribit: « Hic est primus color « in pictura sapientie, quæ reformatur imaginem « Dei in anima per peccatum deformata, scilicet « candor pudicitie. » Clemens Alexandrinus, in *Pedagogo*, lib. III, 3, sapientiam veluti nutrimentum pudicitiam assignat: « Domi, foris, » inquit, « semper comes est sapientie pudicitia. » Considerabilia sunt illa S. Pauli verba, in quibus ad Corinthios, II *Epis.*, vi, 3, scribens, post enumeratos multos virtutum actus, immediato post castitatem scientiam et sapientiam protinus subjungit, dum ait: *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia*; quasi individuas comites esse agnoscat castitatem et scientiam. Unde Cassianus in quadam collatione sua ait: « In qua virtutum conjugatione, « evidentiissime nos voluit erudire, de castitate ad « scientiam perveniri. »

S. Augustinus, in libro de *sancta virginitate*, c. xlii, verbis S. Jacobi nos hortatur dicens: *Si quis indiget sapientia, postulet a Domino, qui dat omnibus affluenter et non impropriet, et dabitur ei*. Protinus autem subjungit: « Sapientes autem esse virgines « decet, ne lampades eorum extinguantur. » Per lucem vero Christum scientie et sapientie mysteriorum sacrorum Magistrum intelligit; ac proinde sancta Mater Ecclesia Doctoribus verba illa adaptat:

Vos estis lux mundi. Aptissime igitur lampades sapientum et prudentum virginum manibus inseuerunt. Ad quas Clemens Alexandrinus alludens ita scribit, *Strom.*, lib. V, c. II: « Prudentes animæ et mundæ, ut virgines, cum intelligant sitas se esse in humana insectia, lumen accendunt, et mentem excitant, tenebras illuminant et ignorantiam expellunt. »

Joseph Patriarcha, litterarum studio nunquam operam dedit; rex tamen Pharaon ei hoc testimonium perhibuit quod inter omnes regni sui sapientes, nullus ipso sapientior esset: *Numquid sapientior et consimilem tui invenire potero?* Hujus autem miræ scientiæ Philo causam assignat, dum de increata Sapientia dicit: « Quia delectabatur honestate pueri, accendebat ejus ingenium. »

Quam putas causam esse, quod inter Apostolos, duo præ cunctis aliis in scientia et sapientia fuerint illustriores magisque insignes, nimirum S. Joannes Evangelista, et Paulus, qui non in Athenarum Aeropago, sed in sublimissima cœlorum Academia eruditus, et Gentium Doctor promotus fuit, ubi *audivit arcana verba?* Audite hæc de re loquentem S. Joannem Damascenum; dicit enim: « Cum in omnibus Apostolis sanctis, virtus integritatis perfecta fuisse credatur, abundantius tamen scientiæ donum exuberavit in Paulo, quia se ad hanc aptum solerti studio atque industria paravit; » utpote qui virgo semper permansit, ac proinde tot divini scientiæ thesauri locupletari meruit. S. Joannes autem cum sanctissima Maria Virgine, quæ *sedes sapientiæ* est, multis annis familiariter conversatus fuit, per quod consortium, eminens ejus scientia et sapientia, ad proportionem castitatis, quæ præfulgebatur, adaucta quoque fuit.

Et hæc satis sint; innumeras enim sententias, item et exempla referre non licet, ad propositum facientia.

VERSUS 39.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galliam in civitatem suam Nazareth.

1. — Predictis verbis S. Lucas vult dicere, beatissimam Virginem et S. Josephum omnia adimplere, quæ in lege Mosaica circa purificationis ritum statuta fuerant, siquidem Filium suum in templo præsentarunt, ipsumque quinq; diebus redemerunt, legales quoque victimas obtulerunt, etc., omnibusque rite adimpletis, in Nazareth patriam suam denuo fuere reversi. Porro certum est, neminem ex ipsis nec Christum, nec sanctissimam ejus Matrem ad hujus præcepti obligationem fuisse adstrictos; verumtamen ut ipsemet Christus deinceps dixit, *Matt.*, v, 17, id factum est, quia non *veni legem solvere, sed adimplere*, ut salutare nobis post

se relinqueret exemplum, quod non solum præcepta, sed etiam consilia observanda sint, faciendaque a nobis sint opera supererogationis, si alias scopum salutis nostræ secure attingere velimus: « Ne accedat das Domine Jesu ad purificationem, » inquit Petrus Blesensis; « tu immunis a peccato, fide mundans corda tuorum; tu sine semine conceptus, et natus de Spiritu Sancto, expecta donec te ipsum offeras pro mundo. Ne accedas, Virgo sanctissima, tu enim neque proprie mulier, neque semine suscepto peperisti, » et tamen ut Goffridus Abbas, *Serm. de purif.*, optime ait: « Merito mater legem servavit, cujus Filius et legem dederat, et venerat, ut in se legem adimpleret, quam aliis dederat ante. » S. Thomas de Villanova aliud quoddam adimplendum hujus præcepti motivum assignat, *Serm. de purif.*, nimirum ut ab illis, qui mysterium incarnationis ignorabant, scandalum submoverent. « Multa propter aliorum scandala faciendæ sunt, multa etiam bona omittenda, neque tibi sufficit bona conscientia, sed oportet etiam te esse sollicitum de aliena. »

2. — Hugo Cardinalis circa dictionem Nazareth ita scribit: « Omnes perfecti debent habitare in Nazareth, id est, in flore, quia semper debent reputare se esse in principio; unde Ecclesiastici, xvii, dicitur: *Cum consummaverit homo, tunc insipiet.* »

VERSUS 40.

Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

1. — S. Bonaventura dicit: « Crescebat scilicet in corpore, sicut exponit Beda, in quantum puer erat, id est, homo fragilis, crescere poterat sicut cæteri homines, non in quantum verbum; quantum ad perfectionem virtutis in mente. » Subditur: *Confortabatur spiritu.* Hoc augmentum erat quoad corpus, non vero quoad sapientiam, quia a primo conceptionis suæ instanti perfectissimum habuit usum rationis, omnemque gratiæ et sapientiæ plenitudinem. Unde Theophylactus ait: « Non assumens sapientiam, quid enim perfectus eo, qui ab initio erat perfectus? sed paulatim eum denudans, si enim quantum brevis fuisset statum ostendisset omnem sapientiam, videri fuisset prope digrosus, et esse phantasma pueri, non verus puer. »

2. — Nos quoque exemplo ipsius in spiritu et virtute crescere debemus, maxime vero cum majora quotidie et majora bona a Deo recipiamus: sicut enim ingens et insolita quedam futura esset monstrositas, si corpus aliquod substantialibus optimisque alimentis enutritum, non cresceret, sed semper infantili pusillitate persisteret; ita quoque monstrositas est animæ christiane, si alimentis

spiritualibus et cœlestibus quotidie enutrita, in isdem perfectionibus pertinaciter perseverat, nullisque in via spiritus faciat progressus.

Et gratia Dei erat in illo.

3. — Albertus Magnus ait: « Ab instanti conceptionis, et non per momenta singula crescens,

« tamen istam ostendebat per momenta plus et plus, et tunc proficere coram hominibus putabat. »

4. — S. Bonaventura in divini hujus infantis persona loquens, dicit: « In me gratia omnis veritatis, in me omnis spes vite; vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenam gratiæ et veritatis. »

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM LUC., CAP. II, VERS. 42

42. Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi,

43. Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.

45. Et non inveniētes, egressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentiam et responsis ejus. Et videntes admirati sunt.

48. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego, dolentes quærebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.

51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

52. Et Jesus proficiebat sapientia, et etate, et gratia apud Deum et homines.

VERSUS 42.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim.

1. — Glossa opinionem S. Ambrosii consecans, in duodenario hoc annorum numero, duodecim notat Apostolos, quos Salvator noster ad suam in populum fidem sectandam adhibiturus erat: « Congrue duodecimo anno prima fidei rudimenta revelat, quæ per duodecim Apostolos per totum mundum erant propaganda. » Glossa interlinearis dicit: « Per duodecim annos significantur duodecim tribus Israel, quæ ad Christum veniunt. »

2. — Porro questionem, quæ hoc in loco excitari posset, nimirum cur Christus superhumanam sapientiam suam non citius et ante hoc tempus manifestavit? Salmeron, *Tom. III, tr. 46*, respondet, dicens, id factum fuisse, « ne phantasma putaretur, aut monstro similis videretur; » qui insuper

aliam quandam rationem moralem assignans, dicit: « Ne malum exemplum daret libere ante tempus agendi et prædicandi et descendendi cathedras et gradus Ecclesiæ supremos ante ætatem occupandi. »

3. — Didacus Stella, in *Luc.*, hanc etatem cœlestium illustrationum capacem fuisse considerat: « In hac etate ratio hominis incipit illuminari, et ita æquum est, ut, quia homo ratione incipit uti, Deum cognoscat et suum conditorem, eique soli serviat. » Salmeron quandam in etate distinctionem adducens dicit quod in contractibus, v. g. matrimonii ratis, in testamentis et professionibus, etas duodecim annorum non sufficiat, quantumvis ad auscultandas et consecandas Dei vocationes subsistere possit, ejusque hanc reddit rationem: « Quoniam Deus, qui vocat ad se, non decipit, cum sit magni consilii Angelus: ad tractan-